



G. A. 4^o 16.

DUORUM
 THEOLOGORUM
 ORTHODOXORUM LUTHERANORUM
JUDICIA,
 DE
 GRATIÆ REVOCATRICIS
 TERMINO
 AD
 ILLUSTRISS. DN. N. N.

LIPSIÆ apud JACOBUM FRITSCH,
 M DCCI.

DE GRÆCIS TERMINIS
THEOLOGICIS
ORTHODOXORUM PATRIARCHORUM
JUDICIA
DE
GRÆCIS REVOCATIS
TERMINIS

ILLUSTRISS. DN. N. N.

LIPSIÆ AD JACOBUM FRITSCHEM
MDCCLXXII



F. N. F.
I.

De Gratia Revocatricis Termino.

I.
Gratia DEI *Vocatrix* in sensu specialiori sumpta, & in actu posita, est Misericordiae Divinae dispensatio, qua homini nondum converso, media conversionis salutaris offeruntur, viresque ea admittendi, & per admissa ex infidelitate eluctandi, in certa *μέτρη*, successive, per definitos gradus & actus (secundum quos praevientis, operantis, atque perficientis nomen habet) conferuntur,

II.
Gratia haec secundum singulos gradus memoratos, est Gratia *assists*,

III.
Gratiam hanc DEUS secundum divitias misericordiae suae immensas, omnibus nondum conversis promisit. 1. Tim. 2, 4.

IV.
Gratiae hujus omnes nondum conversi, intra ejus *μέτρη*, participes fieri possunt.

V.
Multi Gratiae hujus, quoad omnes gradus, participes fiunt actu.

A 2

VI.

Eorum, qui Gratia hujus participes facti sunt, quidam eandem in seipsis patiuntur esse salutariter operosam, & in statu, in quem per gratiam istam tandem pertigerunt; nempe in vita fidei, beneficio succedentis Gratia, quae vocatur *inhabitans*, perseverant; alii illam voluntaria & evitabili malitia iterum excutiunt & rejiciunt, in pristinam labentes, imò sese præcipitantes, miseriam.

VII.

Relapsis DEUS Gratia petulanter excussa iterationem, & medicorum conversionis atque salutis malitiosè rejectorum restitutionem, adeoque Gratiam *Revocatricem, non debet.* Mat. 25, 28. Rom. 11, 35.

[Neque quisquam privatus fuit hac vocatio- nis specie (qua nempe verbum actu secundo prædicatur) nisi - - - *nullo pacto debita.* Hülfem. Brev. cap. VIII, §. 7. p. (ed. Scherz.) 465 lin. II. Necessum non est dari causam aliam ex parte DEI, cur semel privatis luce Evangelii (adeoque & *Gratia convertentis* addit Scherzerus) eandem non restituat, quam rationem æquitatis, quia *quod justè ablatum est, non tenetur restituere.* Idem Hülfem. de Auxil. Grat. p. 149. sq. ap. Scherz. Brev. Hülf. Enucl. p. 943. add. Dannh. Hodosoph. pag. 878. lin. 6. - 10. & Jo. Ad. Ofiand. Colleg. Syst. Part. IV. Loc. X, §. 10. & II. p. 242. 244.]

VIII.

Relapsorum *non utique nullis, at nec item omnibus*, Gratiam Revocatricem DEUS *promisit*; quin eam aliquibus negaturum se, expresse minatus est. Jer. 3, 1. 12. Esa. 65, 2. Deut. 28, 28, 29, 2. Theff. 2, 10. 11. 12. 2. Pet. 2, 20.

[Causa Decreti de Electis, ad tempus ab unione cum DEO & influxu Ejus gratioso prolapsis, infallibiliter reducendis non tam nititur prævise non-rejectione Gratiae Divinae, ad resipiscentiam eos *revocantis*, quam proposito Divino, seu *voluntate reducendi hunc, non illum*. Quod in Apostatis valet; non aequè in nondum illuminatis. Quia *non omnibus Apostatis promisit reiterationem luminis petulanter extincti*: Omnibus verò nondum illuminatis DEUS luminis oblationem sincere promisit. Hulsem. Brev. c. XIV. 0. 7. p. (Ed. Scherz.) 942. approbante Danhauero Hodos, p. 879. qui etiam p. praeced. 875. DEUS Gratiam, inquit, semel repulsam, aliquoties in malitiosè impiis reiterandam *nunquam promisit.*]

IX.

Hinc dantur equidem, neque pauci in quibus Gratia Revocatrix, *ex bonitate DEI libera*, semel, bis, ter, pluries obtingit. Conf. Dannh. Hodos, p. 877. sq.

Dantur vicissim, quibus, ad primam, secundam, tertiam &c. mediorem salutis oblatores rejectionem malitiosam, Gratia Revocatrix *ex iudicio DEI iusto* negatur, Luc. 13, 24. c. 14, 24. Joh. 12, 40. Mat. 21, 43.

[Ad locum Luc. 13, 24. Multi quærent intrare, sed *non poterant*, B. Scherzerus Brev. Hulf. Enucl. p. 466. 59. ita: *Cur? quia tempus aperti ostii neglexerunt.* Et ad exceptionem: hunc locum agere de irritato desiderio Reproborum intröcundi in Regnum Gloriæ, post neglectum Regnum Gratiæ, Respondet: Hic quidem est primarius dicti scopus, sed ratio eius universalis quadrat etiam ad præsens propositum. Si enim æquum est, ut occludantur fores gloriæ propter neglectum Regni Gratiæ, quantò magis æquum erit *occludendi fores Gratiæ majoris, propter neglectum Gratiæ prioris.* Ita B. Scherzerus. Gratia Revocatrix, quoad tempus etiam liberrima, in hominibus singulis suum habet *ambitum nobis ignotum*, notum Divinæ Providentiæ. qui *plerumque ad mortem usque* protenditur, nisi ob gravem contumaciam *prius etiam præcidatur.* - - - DEUS Gratiam aliquando offert bis, terve, h. e. pluries, Job, 33, 29. aliquando *semel tantum.* Dannh. Hodos, p. 879. 1

Dispensatio hic sæpè est inæqualis, æqualium etiam subjectorum respectu.

[Videmus, quòd DEUS Verbum suum alicui regno &c. - - - ad Deum convertitur. Lib. Concord. Declar. Sol. Art. XI. pag. m. 813. lin. 1. - 6. Jo. Frid. Koenig, Theol. Posit. Part. III. §. 441. p. m. 187. Scherz. Brev. Hulf. Enucl. p. 943. lin. 5. à fine. & p. 59.]

DEUS, quibus Gratiam Revocatricem ex justo iudicio in tempore non dispensat, sed negat, iis illam ex eodem iudicio justo negare ab æterno *decrevit*; cùm executio sit speculum decreti.

Dato tali Decreto æterno, datur *Terminus Gratia Revocatricis*. Q. E. D.

Si *Terminus Gratia Revocatricis* daretur nullus, sequeretur, *neminem justo iudicio Divino indurari*; cùm Indurationem ingrediatur essentialiter substractio Gratia Divina vindicativa, & consequatur consecutione infallibili casus ille horrendus, quò finaliter (si induratio sit plena) excidit induratus è jure hæreditatis cœlestis.

[Cùm homines sine timore DEI vivunt, Verbum illius contemnunt, vel etiam contra conscientiam blasphemant & persequuntur, & Epicureis animis tantùm corporalibus & terrenis

nis

nis bonis inhiant, totique iis rebus dediti sunt, neque æternæ suæ salutis curam ullam gerunt: tum DEUS manum suam gubernatricem *prorsus* subtrahit, ut in impietatem & majorem cœcitatem ruant, *indurentur*, & *indies* deteriores atque obstinatiores fiant, & justo DEI judicio *pereant*. Sic enim scriptum est: Si audire nolueris vocem Domini DEI tui, percutiet te Dominus amentia, & cœcitate ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, Deut. 28. Et Paulus inquit: Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvificarent; idcò mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio, &c. 2. Thesl. 2. *Hæc sunt justissima DEI judicia, quæ nemo jure culpæ potest.* Luc. Osiand. ad Joh. 12, 40. fol. m. 292. b. 59. Induratio quatenus est poena præcedentium scelerum, nihil est aliud, quàm justum DEI judicium, ex voluntate consequente ortum, quò vindicatur præcedens hominum contumacia per *subtractionem gratiæ, & plenam traditionem in potestatem satanae, qui judicii Divini executor est, & a quo homines, permittente DEO, effici-*

caci-

naciter indurantur, & in varia scelera præcipi-
 tantur. Meisn. Anthropol. Dec. I. Disp. IX,
 Qu. VII. 0. 3. p. m. 347. Quando Scriptura
 DEO indurationem tribuit, est ea nihil aliud,
 quàm actus judicarius voluntatis Divinæ
 consequentis, quo ob antegressam voluntari-
 am & evitabilem malitiam, DEUS hominem
 habitualiter malum, justè permittit ruere in
 scelera graviora, eidemque *gratiam suam sub-*
trahit, & denique Satanæ potestati eum tradit,
 à quo in majora subinde peccata propellitur,
donec excidat finaliter jure hereditatis
cælestis. J. F. Kœnig Theol. Posit. Part. II. §.
 177. p. 98.]

Nexu hóc, tum constitutivo, tum consecutivo posito &
 concesso, Gratia Revocatrix Terminò negari non po-
 test; sublato autem Terminò hoc, nexus quoq; ille tolli-
 tur. Certissimum equidem est, quòd nullum semel conver-
 sum DEUS deserat, nisi ab eo desertus & quasi excussus; prout
 simili res explicari solet illo: Non cymbam tellus, tel-
 lurem cymba relinquit. At id ipsum uti híc præsuppo-
 nitur, ita obverti nequit. Nimirum eo pte, quo statui-
 tur, DEUM, quos indurat, indurare ex justo judicio;
 omninò præsupponitur, desertionem (quæ induratio-
 nem ingreditur constitutivè) ex parte DEI non fieri, ni-
 si antegressá desertione ex parte hominis. Quomodo
 enim aliàs desertio & induratio ex parte DEI ad ju-
 stum judicium referri posset? Cùm igitur justitia de-
 sertionis, DEO tributæ, neutiquam sit controversa,
 B de-

desertio ipsa ejusque certitudo non potest non esse liquida; siquidem Desertio ideò, quòd est justa, non definit esse desertio. Data autem desertione ex parte DEI, datur induratio, qua data, datur (saltem quoad aliquos) Gratia Revocatricis Terminus.

XV.

Si Terminus Gratia Revocatricis detur nullus, & tamen dentur indurati; sequitur, *neque ex induratis cuiquam fixum esse Terminum Gratia illius, adeoque omnibus propria culpa induratis illam (Gratiam puto) patere, ut ejus, postquam excussa est malitiosè, denuò fieri possint participes. Hoc verò concedi nequit. Positò quippe, induratos quosdam, aut multos etiam, Gratia Revocatricis compotes fieri; ita, ut quivisejus gradus iis denuò dispensentur, (utut contradictoria videantur, voluntate consequente manum DEI gratiosam induratis prorsus subtractam, eosque Satanæ plenè traditos esse, ut pereant, [id quod nihil aliud est, quam ostium Gratia illis justò judiciò esse præclusum] & nihilominus eadem voluntate consequente ostium Gratia illis patere; atque ita voluntatem eorum esse insanabiliter malam, [juxta Kœnig. l. c. §. 176. 180. p. 98. 99.] & sanari nihilominus posse) de induratis tamen omnibus idem asserere nondum permittimur. Dantur enim indurati, quibus, prius conversis, Gratia gradus perficiens excussus non restituitur, neque indulgetur, ut aditum ad Gratiam, quem sibimet præciderunt ipsi, recuperare, adeoque iterum converti possint: ceu manifestum est exemplo peccantium in Spiritum. S. de quibus notabile illud ἀδύνατον Ebr. 6. 4. 5. 6.*

[Utcunque pateat janua Gratia, Verbum Evangelii]

vange-

vangelii, ex parte DEI, juxta voluntatem antecedentem peccatoribus in Spiritum S. in sensu diviso talibus; occlusa tamen est *in hoc seculo jam*, ex voluntate DEI consequente, peccatoribus in Spiritum S. in sensu composito talibus; non quòd DEUS occluserit, sed illi ipsi omnem aditum sibi præciderint. - - - Certum est: Peccantes in Spiritum S. *non possunt revocari ad pœnitentiam*, ut ex loco Paulino constat; Certum est, peccatum illud posse esse consummatum ante excessum, præcisâ finali impœnitentia. Identicum enim & planè nugatorium est, dicere: finaliter impœnitentes non posse revocari ad pœnitentiam. J. A. Osiand. Colleg. Systemat. Part. III. p. 143. b.

59.]

Dantur indurati, quibus, prius de capitibus fidei per Verbum informatis, Gratia gradus *operans* rejectus non redditur, sive, Gratia Verbum denuo cum fructu audiendi negatur; prout facile est ostendere exemplo Herodis, conferendo loca Marc. 6, 20. Luc. 13, 31. C. 23, 8. 9. Act. 4, 27. & Judæorum Act. 13, 45. 46. Dantur imo indurati, quibus, Verbi prædicatione invitatis, Gratia gradus *præveniens* per contemptum neglectus non iteratur, neque manifestatio mysteriorum Divinorum repetita obtingit; quemadmodum patet exemplo eorum, qui Apostolos more Philosophorum Atheniensium audiverunt, postmodum in infidelitate sua relictis,

B 2

Ne-

Nequeres quicquam, quod vel naturæ DEI, vel Juri ejus, vel τὰ ἔσθι Salutis repugnet, involvit. Si enim, falvis his, DEUS gentiles lumine Naturæ ejusque pædagogia abufos, potest juxta Rom. 1, 24, 26, 28. in sensum reprobum dare, atque adeo vindicative deferre, indurare, ipsaque Gratia præveniente destituere, & eorum quidem haud paucos (eventu teste) per omnem vitam,

[*Induratio actualis* non tantum datur in iis, qui DEI Verbum, & in eo voluntatem ejus habuerunt revelatam; sed in iis quoque, quibus non innotuit nisi naturalis revelatio: Seb. Schmid. Aphor. Theol. Disp. XIII. θ. 45. p. 114. Equidem multi etiam hac ipsa vocazione (quæ fit per objecta lumini naturæ congrua) *indurantur*; quod verò ipsum, respectu intentionis Divinæ, fit ex accidenti, per operationem Satanæ, seductionem malorum & hominum abufum atque malitiam, quam juxta DEUS *desertione* vindicat. Id, ib. Disp. XXV. θ. 16. p. 210.]

Multo potius falvis iisdem potest Gratia præveniente privare eos, qui illa actu jam dispensata abufi sunt. Conf. Amos. 8, 11, 12. & Kœnig. l. c. P. III, §. 440. p. 186. sq. Uti proinde citra damnum aut præjudicium infinitæ bonitatis Divinæ, atque adeo voluntatis etiam, quæ in DEO, antecedentis (utpote quæ ordinata) dantur indurati, aiii, quibus juxta voluntatem DEI consequentem ad vitæ finem usque non restituitur Gra-
tia

tia perficiens; alii, quibus non redditur Gratia operans; alii, quibus non iteratur Gratia præveniens; aliis quibus præveniens, sed non operans, alii, quibus operans quoque, sed non perficiens; alii, quibus nullus Gratia Vocatricis univocæ gradus denuo dispensatur: Ita liquet, quod eadem ratione DEUS quibusdam (ut jam in postrema saltem classe maneamus) nullum quoque gradum Gratia Vocatricis univocæ restituere, sed Gratia illius terminum negatione restitutionis iusta figere ab æterno, voluntate malitiam eorum consequente decreverit, & sic non omnibus propria culpa induratis Gratia pateat; ut ejus, postquam illam excusserunt malitiose, denuo participes fieri possint.

XVI.

Quinam in individuo comprehendantur decreto Divino, Gratiam Revocatricem terminante, novit à priori nemo, nisi DEUS, qui hoc nobis non revelavit: A posteriori nosse id nos equidem possumus, quoad subjecta nempe *defuncta*; notitia tamen fere duntaxat *probabili*, planè certam & infallibilem DEO, cordium scrutatore, decretique ac termini secundum voluntatem consequentem autore, sibi soli referante.

XVII.

Cui obtingit Gratia Revocatrix, habet, unde misericordiam DEI superabundantem gratus extollat: Cui non obtingit, non habet, unde justitiam DEI vindicativam queribundus nimii rigoris arguat.

XVIII.

Per hanc doctrinam *solatium Evangelicum mihi non evanescit. Quam diu enim in me non datur inobedien-*

B ;

tia

tia insanabilis, cum violenta resistantia, Deique oppugnatione (quam in æternum procul à me esse præstet misericordiarum Pater clementissimus!) tam diu (juxta Kœnig. l. c. P. II. §. 180. p. 99.) nondum sum induratus: Quam diu nondum sum induratus, tam diu certus omnino sum, necdum Gratiam convertentem mihi negatam esse. Cadunt hæc sub scrutinium cordis mei reflexum.

XIX.

Per hanc doctrinam *neque alii peccatori, qui per me, aut per Ministrum alium, in tentatione est erigendus, solatium Evangelicum perit.* Peccator namque, profligatissimus etiam, qui in statu tentationis à Ministro Eccl. tractatur, solatio reficiendus, accenseri nequit iis, quibus Gratia Revocatricis terminus positus est; partim quia, dum anxius est de solatio (quale extra Verbum non datur) Verbum non malitiosè contemnit; partim quia eo ipso, quo solatium ex ore Ministri percipit, Gratia Revocatricis dispensatio ei actu obtingit. Interim longe alia ratio peccatorum, judicio indurationis obnoxiorum, minimum quorundam. Concipiamus enim e. g. hominem, qui insanabili malitia Verbum conculcarit, Sacramenta blasphemis prosciderit, Ministros Verbi ludibrio habuerit; imò persecutus fuerit, ipsis tandem atheismo sese penitus immerferit, proptereaque justo DEL judicio in eum statum, in quo neque Verbi, neque Sacramentorum, neque Ministerii Evangelici queat compos fieri, devenerit, inque isto statu sibi & Satanæ relictus, indies peccare atrocius, furere, desperare, & perire permittatur (cujusmodi complures, dolor! subinde, dantur); tali certe homini
Gra-

Gratiam convertentem jam ante obitum per terminum fixum esse præclusam, ipse eventus docet. Hinc verò desperandi ansam tentati haud majori jure petere possunt, ac illam de victu naturali solliciti sumerent inde, quod DEUS, qui tamen omni carni, nominatim etiam famelicæ, cibum promisit, quibusdam ex justo iusto iudicio, ingratum panis benignissime suppeditati fastidium & abusum vindicante, alimentum omne ita subtrahit, ut eos, hoc ubivis frustra quæsito, fame perire oporteat. (De fame spirituali & corporali, ingratorum pœna, not. Psal. 59, 15. 16.) Sane, qui percepta hac doctrina, desperandum sibi putant, illi audito quoque aphorismo Johanneo 1, Ep. 5, 16. (Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut quis roget) desperandum sibi existimabunt. Et aphorismus tamen iste est autoritatis infallibilis. Aut itaque, & per hunc perire tentatis consolationem necessariam, dicendum est; aut concedendum, quod solatium tentato remanet, admissio, ut admittendo, pronunciato D. Johannis, idem solatium tentato remanere, admissa hac doctrina; cum numerus eorum, quos DEUS vult salvos atque vocat, & eorum, pro quibus orandum, æque late pateat, 1. Tim. 2, 1, 4. Nimirum universalia beneficia, à quorum promissionibus omne solatium petendum, manent universalia, ut ut applicatio in his illisve subjectis proprio eorum vitio deficiat. Ecclesia non orat porro pro iis, de quibus certior est facta, quod sint ex illorum classe maledicta, pro quibus juxta monitum Johannis non est orandum; neque tamen desinit orare pro omnibus hominibus; Pariter DEUS non pergit vocare hunc vel illum induratum, neque tamen cessat
omnes

omnes homines vocare. Simul vera sunt ista utrinque, uti citra contradictionem, ita quoque citra consolationum diminutionem; cum neque hanc, neque illam diversus, qui tollit omne dubium, respectus locum habere permittat.

[Conf. Meisn. Anthropol. Dec. II. Disp. III. Qu. 3. θ. 10. p. m. 123]
 Jo. Guil. Bajer Dissert. de Peccantib. ad Mortem §. 35.]

XX.

Per hanc doctrinam *nihil derogatur thesi*, quæ cælo terraque firmior; *Ostium sc. Gratia convertentis nemini ante obitum esse præclusum*. Uti enim thesis ista secundum voluntatem antecedentem, secundum quam DEUS omnes homines (atque adeo & atrocissimos peccatores, in sensu diviso) vult salvos fieri, & ad veritatis agnitionem pervenire, prorsus est certissima; ita non nisi præsupposita ea, dum voluntas antecedens non impedit judicium voluntatis consequentis, asseritur, quod æque certum, nempe: DEUM secundum voluntatem consequentem sive judicariam (cui cum *absoluto decreto* nihil commercii) constituisse, non omnibus Gratia contemptoribus, quoties eam rejecerint malitiosè, toties iis eandem iterare, sed eorum aliquibus Gratiam impie rejectam non restituere; malitia humana beneficium ex intentione DEI universale, ordinatum tamen, haud absolutum, limitante & restringente; proinde, licet recte dicatur a Chrysostomo: *χιλιάκις μετανοήσας, χιλιάκις ἐνσελθε*, nihilominus neminem polliceri sibi tuto posse, quod Gratiam convertentem, iterum iterumque excussam, tam crebro fit recuperaturus, ut *χιλιάκις μετανοήσῃ* certo possit.

[Vid.

[Vid. Lib. Concord. Sol. Declarat. Art. XI. p. 820. lin. 1. -17. Meisn. l. c. θ. 9. p. m. 122. & θ. 14. p. 125. Seb. Schmid. Aph. Theol. Disp. XXV. θ. 22. p. 212. J. A. Osiand. Colleg. System. P. IV. p. 243. b. lin. 9. coll. p. 245. b. lin. 10. a. fin. & 246. a. lin. 6./ Aug. Pfeiff. Anti-Calvinism. cap. 7. §. 17. p. 233. sq.]

XXI.

Per hanc doctrinam tam non negatur, diaboli mancipia converti posse, quam non statuitur, omnia diaboli mancipia induratis esse accensenda. Nimirum irrogeniti omnes, & quicumque mortaliter peccant, suo modo laqueis diaboli constricti & ad ejus voluntatem captivati sunt; At eorum tamen haud omnes dici queunt indurati; cum non omnes sibi atque diabolo relinquantur.

Psal. 27, 9.

Ne deseras me, nec derelinquas me, DEUS salutis meae!

Alterum iudicium

De

Termino gratiae peremptorio.

Thes. I.

UNiversis hominibus à Christo est acquisita gratia convertens (quæ in relapsis *revocans* & *reparans* vocatur

C

catur

catur) justificans, adoptans, renovans, conservans, confirmans, consummans & salvans.

II.

Hæc gratia cuivis homini, non posito obice, i. e. interveniente debito verbi & sacramentorum usu, contingere potest.

III.

Habet hæc gratia suum tempus, in quò cuivis homini gratia contingere potest, obice non posito.

IV.

Id tempus est universa illa duratio, in qua adhuc dum sana mente & vita fruimur.

V.

Habet gratia illa *suum terminum* seu finem, peremptorie, i. e. ultimo ac immutabiliter à Deo, ab æterno, ex consequente servera ejus voluntate constitutum: Is cum adest, tum non potest ulli mortalium amplius contingere gratia.

VI.

Is *terminus* in aliis est *momentum subitæ mortis*, quo in statu peccati per morbum quempiam, puta per lethargiam, apoplexiam, epiplepsiam, febrim ardentem, &c. privantur primo in perpetuum vivanæ
me.

mentis, ac ipsa postremo vita; in aliis *momentum lenta mortis*, eos in pleno quidem mentis usu, aut in peccati statu obruentis. Ex quo enim in peccati statu hominem vel subita mors invadit, vel sanæ mentis usus in perpetuum ei aufertur, vel lenta mors in pleno quidem mentis usu eum abripit; nullo modo fieri potest, ut etiamnum convertatur, justus ficetur &c.

VII.

Cum innumeri mortales sint quam contumacia mancipia carnis, mundi & Satanæ; alii ab incunabilis, alii post veniam, semel sæpiusve datam: ideo DEUS ex severa consequente voluntate, ex gravi indignatione, velut justus iudex, *certum quendam gratiæ terminum peremptorie* illis fixit ab æterno; primo quidem sub conditione, dehinc vero ex prævisa contumacia, absolute.

IIX.

Considerans, puta, secum plerorumque hominum nequitiam, *σκληρότητα & ἀμετανόητον καρδίαν*, sic primo secum statuit ex iudicio justo, adjiciente antecedente ejus benigna voluntate quoddam adhuc temperamentum. Sunt isti homines valde profani: non potest id esse in ultimum perpetuo. Differre tamen ad huc recte possum ultimam meam vindictam: Indulgebo ergo illis tot annos, menses, dies & horas ad pœnitentiam, primo mundo 120. annos, Ninivitis dies inde a Jonæ præconio quadraginta, sterili ficui annum unum. Id intra tempus, si Dei notitiam quæsi erint,

ac verbum decenter usurparint, fruuntur gratia convertente &c. Secus elapso isthoc temporis intervallo, permittam hos nebulones, subita morte in peccatis suis perire, istis sceleratis immittam perpetuam phrenesin, lethargiam &c. illos diutinus morbus in pleno sensuum usu enecabit: stat hæc mea sententia, certoque certius, ni me ante istam horam quæsierint, implebitur,

IX.

Formato judiciali hoc conditionato decreto, DEUS porro secum ponderavit ac intuitus est, qui se nefarii peccatores sint gesturi, usque ad gratiæ peremptorium terminum jam definitum quos jam vidit ante illum terminum, non esse id in ullo pretio habituros, ut DEUM norrint, ejusque gratiam sibi concilient; his gratiam convertentem &c. abjudicavit, & peremptorie & absolute ex ira ad summum usque gradum inflammata, ex ira perdente, hoc modo: Tantum temporis spatium ad gratiæ convertentis &c. fruitionem tibi destinavi: Tu vero salutis tuæ curam penitus negligens, non nisi genio in dulgebis: Permittam ergo deinceps, te Saulem in peccati statu, tuo perire gladio, te Achitophelem fune, Te Absolonem hostili telo &c. Te Semproni reddam perpetuo phreneticum, te, Caje, lethargum: Te, Dave, quem per gravem morbum ad decentem verbi usum & respiscentiam frustra invitabo, isthac hora per eundem morbum in pleno sensuum usu è vivis tollam: In æterno eritis opprobrio, in æternis angustiis,

X.

X.

Hic peremptorius gratiæ terminus assidue est inculcandus: quo pii ab apostasia, ejusque continuatione sedulo sibi caveant, impii à termino illo conditionate posito, sibi metuant, eumque per maturatam pœnitentiam antevertant. Id si fecerint, certi esse poterunt nullum terminum gratiæ peremptorium ipsis absolute esse constitutum.

XI.

Sed & hoc addendum est, ad deterrendos à sua impietate impios, tempus Gratiæ, quod DEUS præfractis impertit peccatoribus, est quidem revera tempus gratiæ, si spectes divinam ἀνοχὴν καὶ μακροθυμίαν, quæ in eo exercetur, itemque divinas ad meliorem frugam invitationes quam multas: sed & id simul est tempus iræ temperatæ, quousque illi DEI notitiam fusque deque habent, verbi usum plane negligunt, vel etiam in ejus usu Spiritui sancto nefarie resistunt: *Eo usque enim à DEO deseruntur ac indurantur. DEUS enim destituit illos, eo usque gratia sua convertente, justificante &c. permittit ex adverso, ut firmum propositum continuandæ nequitiae concipiant ac gerant: permittit etiam illos suas ire vias pessimas in verbis & factis. Hoc respectu illi quam sunt miserrimi.*

XII.

Hoc ex amore veritatis & pacis, salvo meliore

dicio, lecto V. F. Th. ad VI. Joh. Bōfii scriptum judicio, in chartam conjicere visum est: quo uberius detur anfa meditando hujus gravissimi negotii, viaque sancta concordiae reddatur facilior. Cæterum minime consultum est, ut Doctores Evangelici, cum difficilis quæpiam quæstio, hætenus nondum satis ventilata, moveretur, se invicem errorum infimulent. Debebant tum rem quisque ad animum vocare, suam sententiam ponere, & aliis examinandam sistere, dein aliorum sententiam examinare, & cum sua componere. Tandem communi consensu statuendum erat, quid, quibus circumstantiis, limitationibus sit dicendum. Non impertit DEUS uni omnia: jungenda sunt consilia: jungenda est opera in ædificanda DEI domo. Sectemur pacem & sanctitatem, sine quibus nemo videbit Dominum.

S. D. G.



XII

33

PROGRANMA
RECTORIALE
TERMINO GRATIA
IN
HACVITA

Hinweise

Signatur	3 A 10225	Stok	ext.
----------	-----------	------	------

RS	Bub	AK
	/	SWB

Titelaufn.	AKB
	25.09. me

FK
1.-35. Pietismus 20.10.7-

Bio K	Bild K
-------	--------

SWK

Sonderstandort	Signum	Ausleihe- vermerk

